UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 80. Maximilianus huic paci graviter obluctatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66444

Visual Library

Secul. XV. A. C. 1482.

ejus conjux Artheſiæ & Burgundiæ Co-mitatibus, aliisque præfatis ditionibus, nomine dotis, fruatur, additis annuis quinquaginta millibus librarum Turonicarum, necnon oppignoratis in fidem crediti præclaris urbibus, Campania, Biturigibus & Turonia. Spectabant ceteri articuli hujus Tractatus firmitatem, atque executionem, necnon quorumdam privatorum cauſſas. Has inter erant lites, quas Arauſionenſis Princeps, hæredes Conneſtabilis S. Pauli, Croyii, Toulengonii, Joignii, aliique habebant. Equidem Rex Artheſiæ Comitatum ſibi vendicare non intenderat, nihilominus Gandavenſes eundem illi addicebant, ut eorum Princeps magis adhuc exhauſtus nunquam imperium in eos exercendi vires haberet.

## §. LXXX.

### *Maximilianus huic paci graviter obluctatus.*

Hoc fœdus Atrebati die vigeſima tertia Decembris firmatum, ineunte menſe Januario anni ſequentis Rex Pleſſiaci prope Turones gratum ratumque habuit. Haud leviter ea res diſplicuit Maximiliano; hisce enim pactis tam ſibi, quam Filio ſuo valde pingues ac fortunatæ eripiebantur Provinciæ, nihilominus aſſenſu quoque ſuo adſtipulabatur, non-

nonniſi tamen invitus & quodammodo violentis Gandavenſium auſibus coactus eorum voluntati cedebat; hi enim eo temeritatis progrediebantur, ut non jam per ambages conteſtarentur, ſe ſolos, niſi conſentiret, has nuptias effecturos: Cum autem inſuper Maximiliano hujus pacis conditiones nimium duræ, & Margaritæ Filiæ ſuæ dos admodum ampla videretur, graviter querebatur, quod Ludovicus auctoritate ſua inſolentius uteretur, eoquod quasdam arces in Burgundia ſolo æquari juſſiſſet. Sæcul. XV. A.C. 1482.

## §. LXXXI.

### *Alverniæ Ducissæ obitus.*

Interea Joanna de Francia Joannis de Borbonio & Alverniæ Ducis conjux in ſuo caſtro Molini in Corbonenſi Provincia tam ardenti corripiebatur febri, ut deſperata omnium Medicorum ope feria quinta die quarta Maji e vivis excederet, Molini in Eccleſia S. Mariæ ſepulta. Ejusdem virtutes, ac vitæ probitatem pluribus commendat Auctor, qui de geſtis Ludovici XI. commentarios ſcripſit: Præterea plures eodem anno pari fato rebus humanis erepti ſunt, quos inter præcipui ſunt Narbonenſis, & Bituricenſis Archiepiſcopi; Lexovienſis Præſul, Joannes Piſtor ſeu Boulanger primus Pariſienſis

*Chron. Ludov XI. apud Com. Tom. V. Edit. ult. pag. 269.*

*Moulins.*